

opus poenale sive libere sua sponte assumptum sive libere acceptatum.

Porro ex dignitate operantis et eius merendi capacitate operisque libertate fit ut quod pro compensatione poenae debitae exhibetur, non debeat esse secundum rem tantum quantum secundum legem vindictivam pati simpliciter vel invitus deberet; secus reapse paritas non servaretur, nec possibile foret in hac vita plene satisfacere.

Itaque ex his habes definitionem satisfactionis, quae culpa remissa agatur; est enim opus bonum poenale ab homine iusto viatore libere assumptum vel acceptatum pro compensatione exhibenda divinae iustitiae vindictivae.

X. Quaeri tandem potest utrum remissio debiti poenae obtineri possit aliter quam per satisfactionem, h. e. per impetrationem. Pars negans probabilior videtur Suarezio ibid. Sect. 10: pars affirmans verior Lugo ibid. Sect. I. dub. incid. Affirmantibus suffragari videtur sensus et praxis Ecclesiae, quae in officio defunctorum saepius petit ut Deus condonet poenas debitas animabus in purgatorio. Item B. Virgo et Sancti exorare et impetrare possunt remissionem huius poenae iisdem animabus, quod rursus Ecclesia testatur, quae petit a Deo ut eae animae, B. Virgine intercedente et omnibus Sanctis, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Porro si pro aliis potest iustus impetrare remissionem poenae, multo magis id poterit pro se ipso, si tamen iam non existat in statu punitionis. Cf. eosdem auctores citatos.

THESIS XXXIX.

(q. XIII. 2.)

Potest iustus pro alieno quoque debito temporalis poenae satisfacere Deo, satisfactione condigna; etsi Deus non ex iustitia sed ex misericordia eam acceptet, et forte non se ad acceptandum semper obligaverit.

I. Quoniam disseruimus de facultate iusti satisfaciendi pro se, quacum nexa est facultas satisfaciendi pro aliis, aequum est ut de hac quoque facultate loquamur: praesertim cum huius rei demonstratio praesupponenda sit iis, quae in Appendice de Indulgentiis tradituri sumus.

Cum iustus possit pro se satisfacere (Th. praeced.), satisfactio autem pro alio videatur aliquid amplius quam pro se ipso, patet quod adhuc reliqua est quaestio an pro alio valeat satisfacere. Iam vero constat quod de sola satisfactione pro poena temporali debita peccato remisso sermo esse potest; nam manente

culpa nullus est locus remissioni poenae: satisfactio vero pro culpa et poena eaque aeterna aliorum, propria est Christi. Cum ergo solus iustus sit qui debitor sit tantum poenae temporalis, satisfactio a iusto exhibita, si pro alio valet, non nisi pro alio iusto valere poterit. Satisfactiones huiusmodi suffragia dicuntur.

II. Ut Doctrina catholica hac in re teneatur, advertere oportet primum differentiam inter meritum et satisfactionem pro debito poenae, si haec non quidem materialiter (nam unus idemque actus potest esse utrumque), sed formaliter considerentur. Commune est utrique, si origo spectetur, quod sint actus personales: si vero terminus spectetur, alter est in merito, alter est in satisfactione. Terminus duplex distinguitur, res nempe, terminus *qui*, et persona, terminus *cui*, qui potest concipi immediatus vel medius. In merito terminus res est praemium; in satisfactione terminus res est extinctio debiti poenae: in merito terminus cui immediatus est subiectum ipsum operans; licet enim possit alter mereri alteri aliquod bonum, hoc tamen totum (bonum alteri collatum) propter illud meritum censetur et est bonum merentis illique soli vel ex condigno vel ex congruo debitum: in illo vero, cui propter alterius meritum conferitur bonum, nulla ratio meriti consideratur erga idem bonum. Repugnat scilicet ut aliquis constituatur formaliter merens per actum alterius; quid enim meretur qui nihil agit? Quia tamen bonum, quod quis meretur, alteri datur, hic terminus cui medius meriti dici poterit.

E contrario terminus cui immediatus satisfactionis est divina iustitia vindictiva, cui compensatio exhibetur pro offensae; huc enim spectat satisfactio, ut Deo faciat satis. Quocirca meritum penes Deum infert quandam intrinsecam mutationem agentis eo quod gratior Deo et sanctior evadat: satisfactio vero sine ulla intrinseca mutatione agentis integre perfici potest; absolvitur enim desitione iuris divini exigendi poenas pro offensa.

Ex hac autem propria ratione satisfactionis sequitur: 1^o. quod persona, cuius debitum exstinguitur, est terminus cui *mediatus* eiusdem satisfactionis: sequitur 2^o. quod licet debeat esse persona aliqua, cui debitum exstinguitur, haec tamen (attenta natura satisfactionis, quam solam nunc consideramus praecisa quavis positiva lege) possit esse alia ab agente seu offerente satisfactionem: ut ideo sit etiam in hoc discrimen inter meritum atque satisfactionem. Mereri scilicet quis valet et alteri, sed non ita ut abdicans a se rationem sui meriti, transferat illam prorsus in alium, et sic iste ante Deum talis constituatur ac si ipse meruisset; at quis valet pro altero satisfacere ita ut totum ius suae satisfactionis transferat in alium et

sic iste ante Deum non secus moraliter censendus sit ac si ipse actu suo satisfacisset. Loquimur de eo quod esse potest, spectatis rerum essentiis, non de eo quod esse debet.

Quod ergo diximus fieri posse in satisfactione, ex eius natura demonstramus. Sane ille est possibilis modus satisfactionis, in quo integra ratio satisfactionis adhuc constat: atqui id reapse contingit in satisfactione pro alio: ergo. Prob. minor. Nam satisfactio pro poena temporali debita peccato remisso, est quaedam solutio pro extinctione debiti exhibita, sita in quadam compensatione finita laesi honoris Dei: atqui solutio pro debito sita in quadam compensatione finita honoris laesi vera est etiamsi alter pro altero satisfactionem exhibeat, dummodo acceptetur. Nam prout est solutio pro debito, eam alter pro altero praestare potest: prout est compensatio quaedam finita laesi honoris, haec a perfectione actus pendet, eamque vel aequae vel magis obtinere Deus potest sive per actum rei sive per actum alterius, qui se reo substituat; quoniam et actus huius possunt Deo reddere tantum honoris quantum actus alterius. Non tenebitur quidem Deus hanc ab alio compensationem acceptare, sed si velit, nulla est per se repugnantia quod unus pro alio satisfaciatur. Cf. Suarez disp. XLVIII. Sect. 2.

Huiusmodi satisfactionem pro alio vocat s. Thomas meritum pro alio, sed meritum praemii cuiusdam accidentaliter, inquit ad 1^o. « Praemium essenziale redditur secundum dispositionem hominis, quia secundum capacitatem videntium erit plenitudo visionis divinae. Et ideo sicut unus non disponitur per actum alterius, ita unus alteri non meretur praemium essenziale, nisi meritum eius habeat efficaciam infinitam, sicut Christi, cuius merito solo pueri per baptismum ad vitam aeternam perveniunt. Sed poena temporalis pro peccato debita post culpae remissionem, non taxatur secundum dispositionem, eius, cui debetur, quia quandoque ille, qui est melior, habet maioris poenae reatum. Et ideo quantum ad poenae remissionem unus alteri potest mereri » h. e. obtinere eius debiti extinctionem pretio soluto.

Ex dictis consequitur quod qui pro altero satisfactiones suas offerret, non posset simul pro debito suo, si quod habet, et pro alterius satisfacere « quia, ut ait s. Thomas ad 3^o. in solutione debiti attenditur quantitas poenae..... et illa quantitas poenae non sufficit ad utrumque peccatum: tamen satisfaciendo pro alio, sibi meretur aliquid maius quam sit dimissio poenae, scilicet vitam aeternam ». Certum est idcirco quod si de possibilitate quaestio fiat, valeat iustus pro alio suffragia seu satisfactionem offerre, qua huius debitum seu obligatio poenae coram Deo extinguatur. Restat ut videamus an quod fieri posse dicimus, actu sit, h. e. an Deus talem ordinem instituerit ut per-

miserit alteri pro altero satisfacere: nam utrum haec satisfactio, si datur, sit condigna, disputabimus postea.

III. Iam vero 1^o. si natura Ecclesiae a Christo institutae consideretur, statim patebit et congruere quam maxime cum Ecclesiae natura hanc potestatem factam fidelibus, et idcirco saltem probabile esse quod eam Christus fecerit fidelibus. Sane in uno Spiritu in unum corpus baptizati sumus, sumus corpus Christi et membra ex parte (I. Cor. XIII. 15), singuli alter alterius membra (Rom. XII. 5) atque ita ut pro invicem sollicita sint membra (I. Cor. XIII. 25) sub capite Christo, ex quo totum corpus et compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram (ἐν μετρῶ) uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate (Ephes IV. 16.), et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, si gloriatur unum membrum, congraudent omnia membra (I. Cor. XIII. 26.). Haec porro tanta consociatio et unitas membrorum inter se exigit ut quidquid per se possunt membra sibi invicem praestare ac communicare, id reapse in hoc corpore Christi valeant sibi mutuo participare, ut pro invicem solliciti sint fideles et augeatur tota societas in caritate. Atqui, ut vidimus, potest iustus per se alteri suas satisfactiones communicare: aequum est ergo censere voluisse Christum ut reapse in hoc corpore suo haec facultas ad actum reduceretur.

Ex re quidem vere cum aliorum bonorum communicationes competant membris huius corporis, nulla est ratio cur haec specialis negetur. Communicationem bonorum supernaturalium haberi constat ex articulo communionis sanctorum. Huius communicationis mentionem facit Apostolus II. Cor. VIII. 14. ubi cum exhortatus sit Corinthios ad eleemosynas largiendas pro christianis Iudaeae, ait: in praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia (quae non poterat esse nisi in spiritualibus rebus) vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas. Sicut ergo est in Ecclesia participatio meritorum ut unus alteri mereatur, participatio orationum ut unus pro altero intercedat (cf. catechism. Rom. ad art. 9^o. Symboli), cur negabitur participatio suffragiorum, ut unus pro altero satisfaciatur? Unica ratio foret, quia id per se repugnat; atqui id vidimus falsum esse: ergo. « Ad communem hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus, et pro possessione virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus. Pariatoria (paritatem faciens: at Du Gange in voce *Plenaria* legit: *parata vero*) Plenaria passionum omnium non erit, nisi cum seculum finitum fuerit ». Ita Augustinus in Psal. LXI. n. 4. enarrans verba Apostoli (Coloss. I, 24)

ut suppleam quae desunt pressurarum Christi in carne mea. Ubi vides ab Augustino coniungi passiones sanctorum passionibus Christi ad communem utilitatem totius reipublicae: quam autem utilitatem ex passionibus sanctorum pronum est magis intelligere derivatam communi reipublicae, quam communicationem satisfactionum, quae in passionibus fundamentum habent?

Hanc communicationem Iohannes Chrys. commendabat hom. XLI. in I^o. Cor. n. 5. inquit: « Ne nos pigeat opem ferre iis, qui excesserunt et pro eis offerre preces; est enim (Missae Sacrificium) propositum orbis terrae commune piaculum. Propterea fidenter pro orbe terrae tunc rogamus et cum martyribus eos vocamus, cum confessoribus, cum sacerdotibus. Etenim unum corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora: et fieri potest ut veniam eis omni ex parte conciliemus a precibus, a donis, quae pro eis offeruntur, ab iis qui cum ipsis vocantur. Cur ergo doles, cur lugens et lamentaris, quando defuncto potest tanta conciliari venia? »

IV. Haec vero 2^o est certa Ecclesiae doctrina, posse alterum pro altero satisfacere, quae doctrina in ipsa disciplina poenitentiae publicae se prodit. Nam utilitas eiusdem ex eo quoque capite non minimum commendabatur, quod luctui et poenitentiae illius, qui poenitentiam professus fuerat, coniungebantur non solum preces sed dolores etiam et poenae ac satisfactiones ceterorum. Ita Tertullianus ritum exponens poenitentiae huius (De Poenit. c. 40.) ait: « Inter fratres atque conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio, quia communis spiritus de communi domino et patre; quid tuos aliud quam te opinaris? quid consortes casuum tuorum ut plausores fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere, condoleat universum et ad remedium conlaboret necesse est. In uno et altero ecclesia est, ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Aequae (ac) illi cum super te lacrimas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper quod Filius postulat ». Cum Christus una cum suis membris dicitur pati, lacrimari, dolere, passiones, lacrimae, dolores indicantur Ecclesiae, quibus ea ad remedium poenitentis conlaborat: at Christi passiones sunt satisfactiones pro peccatis: ergo et passiones membrorum suorum, quae ipsius quoque sunt, satisfactio quaedam sunt pro peccatis poenitentium. Ambrosius pariter (de Poenit. L. 1. c. 45.) explicans verba Apostoli: expurgate vetus fermentum; haec habet: « Et bene ait: *expurgate*; velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur et plebis lacrimis abluuntur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato (cf. quae dicemus in Appendice §. 41 de fructu huius publicae poenitentiae)

et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus Ecclesiae suae ut unum per omnes redimeret ». Cui consonat Caesarius Arelatensis (in Homilia 1^a de Poenitentia n. 4.) inquit: « Et ille quidem, qui poenitentiam publice accepit, poterat eam secretius agere. Sed, credo, considerans multitudinem peccatorum suorum, videt se contra tam gravia peccata solum non posse sufficere, ideo adiutorium totius populi cupit expetere... Nos quod nobis ab aliis fieri volumus, quando poenitentiam publice petere disponimus, hoc aliis toto corde et toto animo impendere festinemus. Quid enim volumus, quando ad poenitentiae remedium pervenire meremur, nisi ut omnis populus pro nobis contendat divinam misericordiam exorare? » Hanc fidem custodivit semper in Ecclesia fidelium sensus, hanc romanus Catechismus indubitate tradidit (de Sac. Poenit. n. 76) inquit: « In eo summa Dei bonitas et clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus praedicanda est, qui humanae imbecillitati hoc condonavit ut unus posset pro altero satisfacere ».

V. Perperam vero quis hanc satisfaciendi potestatem pro aliis ita interpretaretur ac si in eo esset sita, quod iustus precibus suis alteri impetrare possit a Deo remissionem poenae. Nam 1^o) talis impetratio diceretur maxime improprie satisfactio: 2^o) sensus fidei abhorret ab hac declaratione: tenemus enim omnes quod sancti in caelo orare possint pro nobis nobisque plurima impetrare, non vero satisfacere pro nobis: quod tamen tenendum esset, si perinde esset impetrare alicui veniam et satisfacere pro eo. 3^o) Quid hoc est quod Deus dicatur flecti precibus alterius ad remittendam poenam alicui, et id non praestet propter satisfactiones ab altero oblatas? si primum asseritur, multo magis concedendum est secundum. Verum illud primum aegre intelligitur: Deum nempe absque ulla satisfactione remittere poenam. 4) Tandem id non cohaeret cum reprobatione propositionis Baii 59. quam dedimus praecedenti Thesi. Docemur enim a s. Sede quod quando per eleemosynas aliaque poenitentiae opera Deo satisfacimus pro poenis temporalibus, offerimus Deo pretium dignum pro peccatis nostris, non solum aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicetur. Unde liquet in hoc esse sitam rationem satisfactionis ut pretium Deo offeratur pro peccatis. Si ergo et pro aliis satisfacimus, necesse est ut et pro aliis pretium aliquod offeramus: secus negandum foret nos pro aliis satisfacere posse, quod tamen cum Catechismo romano omnes fideles tenent.

VI. At satisfactio, quam iustus pro alio offerat, potest ne esse condigna? De condignitate loquimur in actu primo, quae per se actioni competit, sive deinde acceptetur a Deo, sive non. Porro si-

cut meritum est condignum quod per se par est exigendo praemio, sic satisfactio erit condigna pro aliqua poena, quae per se par sit exstinguendo debito illius poenae. Atqui talis est satisfactio, quam iustus pro alio offerat.

Nam 1° fac non esse talem: habes manifestam contradictionem, quod nempe quis pro alio satisfaciatur et non satisfaciatur. Cum enim in satisfactione offeratur pretium Deo pro peccato, si satisfactio non est par per se exstinguendo debito, non est ergo pretium pro illo peccato: si autem non est pretium pro illo, non erit ergo satisfactio: et quia hoc argumentum pro qualibet satisfactione fieri potest, sequitur non vere satisfacere qui tamen dicitur satisfacere. Sane 2° satisfactio, quam iustus offerat pro se, est condigna pro certo debito poenae (th. praeced.): ergo pariter condigna esse potest satisfactio pro alio. Prob. consequentia. Nam posita communicatione, illud idem ius transfert iustus in alium, quod sibi competeret; si ergo tua satisfactione ius habes ad extinctionem certi debiti, hoc idem ius habebit alter, et sic pro illo satisfactio erit condigna.

VII. Restat quaestio de acceptatione Dei. Certum profecto est Deum non teneri ex iustitia ad acceptandam satisfactionem unius pro alio; nam ius est supremi Principis offensi exigendi satisfactionem ab ipso offensore. Ast ex liberali animo et misericordia promisit ne Deus suaque promissione se obligavit ex fidelitate ad acceptandas satisfactiones istas alienas? Haec quaestio in duplicem distingui potest. Primo: an promiserit generatim se acceptaturum tales satisfactiones, altera: an promiserit se acceptaturum omnes et singulas satisfactiones a iustis oblatas pro aliis, ita ut idcirco effectus harum satisfactionum, dummodo sint quales oportet, sit infallibilis. Priori quaestioni responsio est affirmativa, eaque iam probata est ex hactenus dictis (n. III seqq.). Si enim Deus voluit talem esse inter fideles communicationem bonorum ut etiam satisfactiones unius valere possent pro alio, hoc ipso promisit saltem generatim se ea acceptaturum et hac promissione se ex fidelitate obligavit.

Sed dissensus est inter theologos quoad alteram quaestionem. Quidam enim negant effectum talium satisfactionum esse infallibilem; quia, aiunt, Deus non ita promisit ut se obligaverit ad singulos casus, sed facultatem sibi reservavit hanc vel illam satisfactionem reiiciendi prout ipsi libuerit aut aequius iudicaverit. Sane est ne ullum documentum certum promissionis divinae huius, ut infallibiliter satisfactionis pro alio oblatae effectus semper obtineatur? Nemo hactenus illud protulit.

Contra reponit Lugus (de Poenit. D. XXVI. n. 5.) communem et veriolem sententiam affirmare quod satisfactio a iusto pro alio

oblata prosit ipsi infallibiliter: quam sententiam, ait, sequitur quoque Suarez disp. XLVIII sect. 3^a n. 3. Hanc sententiam contendit Lugus contineri in verbis Catechismi romani (de Sacr. Poenit. n. 61.) quibus dicitur: « qui divina gratia praediti sunt, alterius nomine possunt quod Deo debetur persolvere... Nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo sanctorum communionem profiteremur ». « Ubi (pergit Lugus) ponderari in primis potest illa propositio universalis: *possunt persolvere*. Nam si iusti possunt, ergo habent in sua potestate id totum quod requiritur ad eum effectum: ergo et acceptationem Dei, quae utique requiritur. Non enim dicimur simpliciter posse id, quod non pendet a nostra sola voluntate; non enim dicitur Petrus posse habere librum Pauli, si, ipso petente, Paulus potest negare. Rursus ponderandum est quod dicitur id contineri in illo articulo Symboli, quo credimus sanctorum communionem: cum enim verba illa non significant communionem possibilem aut conditionatam, si Deus velit, sed absolutam, si in illis verbis continetur haec satisfactio unius pro alio, consequens erit quod haec absoluta sit et non solum sub illa conditione ».

Nulla quidem est hac in re definitio fidei, et argumentatio Lugus non satis efficax videtur. Nam etsi effectus solutionis pendeat quoque ab acceptatione Dei, quae identidem negari potest, verum est semper quod iusti generatim possunt persolvere pro aliis; verumque pariter est hanc potestatem nos doceri illo articulo Symboli, quo pariter docemur posse iustos intercedere pro aliis et pro aliis mereri, licet infallibilis non sit intercessio aut infallibile meritum.

Et sane nonne se obligavit Deus ad exaudiendas preces nostras, et tamen haud semper obtinemus quod petimus, etsi bene rogemus? Dices id fieri cum Deus scit nostrae salutis non expedire quod petimus, aliud vero tum magis conveniens concedere. Bene est. Sed cur non idem valebit in satisfactione, ut Deus alterius pro altero satisfactiones haud recipiat, cum salutis huius magis expedire novit ut ipse solvat de suo, satisfactionem oblatam proinde recipiens pro eo ipso, qui obtulit, vel pro alio? Si illud non impedit quominus dicamus Deum se obligasse ad preces nostras exaudiendas, non video cur istud prohibeat dicere Deum velle aliorum pro aliis satisfactiones recipere et ad id se obligasse.

Ceterum durum videtur non esse relictum in potestate Dei ut alterius satisfactiones reiiciat et sic, si iusti velint pro aliquo satisfacere suaque opera poenalia offerant, nequeat Deus ab ipso reo exigere, si vellet, propriam satisfactionem.

Rem ergo in medio relinquimus: licet probetur nobis magis sententia negans.